

DISSERTATIO INAUGVRALIS THEOLOGICA
DE

ANGELIS

QVAM

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO

DOMINO FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQUA
ACAD. MARBURG. RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PRAESIDE

VIRO ADMODVM REVERENDO
ET DOCTISSIMO

IO. SIGISM. KIRCHMEIERO

S. S. THEOL. PROF. ORDIN. STIPENDIAR, IN HAC ALMA
EPHORO PATRONO IVGITVR COLENDO

PRO DOCTORATV

IN THEOLOGICA FACVLTATE OBTINENDO
IN AVDTORIO SOLEMNI AD LANVM

ILLVSTRI SENATVI ACADEMICO

AD DIEM XX. DECEMBRIS AN. MDCCXLVI.

SUBIICIET EXAMINANDAM

IO. RVDOLPHVS ANTONIVS PIDERIT.

PHIL; DOCT. ET ART. LIB. MAG.

MARBVRGI,

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MYLLERI, ACAD. TYPOGR.

DISEPTIMO IN NATURALI THEOLOGIA



BOSSHOFFI THEOLOGIA

ACAD. LIBERARUM THEOLOG. DISSELDONIAE

IO. VICTOR K. H. HENRIKSEN

PHIL. DOCT. ET VICE RECTOR

IN THEO. G. G. FACULTATE DISSELDONIAE

IN THEO. G. G. FACULTATE DISSELDONIAE


IO. RADOLPHVS ANTONIVS FIDERTI

PHIL. DOCT. ET VICE RECTOR

THEO. G. G. FACULTATE DISSELDONIAE



DISSERTATIO INAUGVRALIS
THEOLOGICA
DE
ANGELIS.



§. I.



Deus, Ens perfectissimum, יהוה אל שר *Deus exi-*
qui Mofi de nomine ejus quaerenti, *stit a se.*
respondit, יהוה אשר יהוה Exod. III.
14. *Primus & Ultimus* Esai XLI, 4.
XLIV, 6. XLVIII, 12. qui dicit:
εγω ειμι το Α και το Ω, αρχη και τελος
ο ων, και ο ην και ο ερχομενος Apoc. I, 8. existit ab
aeterno in aeternum, a se, et per se: *scaturigo vitae*
sibi & omnibus extra se Ps. XXXVI, 10. αυταρκης
και ανευδης Act. XVII, 25. μακαρως και μονος δυ-
νασης 1. Tim. I, 11, 17. *sibi ipsi existendi principium*
et finis, vid. loc. cit. et Ps. XC, 2. Rom. XI, 36.
Heb. II. 10.

A 2

§. II.

§. II.

*Alia extra
se Deus
opera pro-
duxit ad
gloriam
suam.*

Placuit vero DEO O. M. Enti perfectissimo et simplicissimo, ex aternitatis suæ veluti abyſſo prodire, atque pro voluntatis suæ beneplacito, per liberam efficientiam, non per emanationem, extra se producere res alias varii generis, secundum *υπερβαλλον μεγαθος σοφιας και δυναμεις αυτη* Ephes. I, 19. in quibus *αορατος* ipse se quasi conspiciendum exhibere Rom. I, 20. suarumque virtutum et perfectionum divinarum *ειδειγμα* quoddam dare voluit, in quo Nominis sui gloriam manifestaret. Genes. I. II. et XIV, 22. Exod. XX, 11. Ps. XXXIII, 6. et CXXXIV, 3. Esai XL, 26. Matth. XI, 25. Joh. I, 1-3. Act. XVII, 24. Rom. I, 19. 20. Col. I, 16. Apoc. IV, 11. In Deo ipso GLORIA nihil aliud est, quam complexus omnium perfectionum divinarum, quæ Deo immutabiliter insunt, prout ipse immutabilis est; concentratus quasi fulgor virtutum ejus. Vocatur *כבוד* *Nominis Dei* Ps. XXIX, 2. *præponderantia*, quæ infinitum prae omnibus rebus *βαρος* habet, *καθ' υπερβολην εις υπερβολην* 2. Cor. IV, 17. In ipso enim est *כבוד הוה' הדר' honor gloriae magnificentiae* Ps. CXLV, 4. juxta quem ipse est *magnus et laudabilis valde et magnitudinis ejus non est peruestigatio* ibid. v. 3. Graece vocatur *δοξα*, *splendor* Rom. I, 23. 2. Cor. IV, 6. Hujus divinae gloriae demonstrationem *finem* esse, quem Deus intendit in aliarum extra se rerum productione evidens est. Non enim alium extra se finem Deus habere potest. Qui est a se, operatur ad se. Nec aliud quid est

ex-

extra Deum, ad quod ipse, ceu ad finem respiciat vel respicere debeat vel possit. Uti ipse est causa prima; sic ultimus etiam omnium rerum finis est. Omnia quae praeter Deum existant, contingenter, adeoque a causa prima dependenter existunt. Quemadmodum vero non sunt a se ipsis, ita nec sibi ipsis sunt finis, sed ad finem extra se, a causa sua intentum pertinent. Ps. XIX, 1. CIII, 1., 20-fin. et CXV, 1. CXXXIV. CXXXV. CXLV. CXLVIII. CL. Prov. XVI, 4. Rom. XI, 36. Col. I, 16. Apoc. IV, 11. Hinc in creatione Deus omnia sua opera vidisse, et omnia valde bona fuisse, apta videlicet singula ad finem, quem Deus circa illa intenderat, dicitur Genes. I. Quemadmodum vero non causarum, ita nec finium subordinationem tollimus; sed uti Deum causam omnium primam, ita omnium pariter finem ultimum esse asserimus. Quod vero in homine vel alio ente intelligente creato, si se ipsum sibi finem ultimum praestituere vellet, maximopere inordinatum foret, illud in Deo decentissimum et summe necessarium est.

§. III.

Existit itaque *mundus*, ens ab Ente sapientissimo potentissimo productum, de cuius *existentia* ex S. Scriptura, experientia propria et usu variarum rerum satis superque convicti sumus. Sacra Scriptura illum nomine *coelorum et terrae cum exercitibus eorum* Genes. II, 1. עולם אלהים Et. XL, 28. *κοσμος* et *omnium, quae in eo sunt*, Act. XVII, 24. *visibilem et invisibilem* Col. I, 16. των αιδωων Heb. I, 2.

Opera illa uno complexu vocantur Mundus, qui describitur.

exprimit. MVNDVS complexus & series est rerum omnium a Deo creatarum. *Aegyptii* quatuor statuebant olim mundos: *elementarem, coelestem, intellectualem & archetypum*, qui constituerent hoc universum. In eo manifeste errabant, quod Archetypum, Deum, hujus mundi partem facerent, communi gentilibus errore, qui eum mundi animam dicebant. At vero Deus cum mundo, causa cum effectis, creator cum creaturis in compositionem venire nequit. SCHEIBLERVS Lib. I. cap. XVIII. p. 235. mundum vocat *ens aggregatum*; eum enim non habere aliam entitatem ab entitate partium aggregatarum; Partes vero omnes, ex quibus mundus aggregatur, contingentes esse; & non necessarias. Haec fusius persequitur Lib. II. cap. III. 41. p. 45. de connectione rerum scribens. “ *Iterum videmus, unam*
 „ *rem deservire ad bonum particulare alterius.*
 „ *Elementa intrant herbas et arbores, et nutriunt*
 „ *eas et fructus earum. Iste porro herbae sunt nutri-*
 „ *trimentum variarum bestiarum. Varias autem*
 „ *bestiae sunt cibi hominum. Sic et coelestia corpo-*
 „ *ra horum omnium saluti prospiciunt, imperti-*
 „ *endo calorem et lumen, et occulte influendo.*
 „ *Quia ergo unum tendit ad aliud, unum aliud su-*
 „ *stinet, omnia se mutuo juvant, inferioraque su-*
 „ *perioribus deserviunt, et sic faciunt ordinatissi-*
 „ *imum quoddam systema, oportet ut sit quoddam*
 „ *commune principium, ordinans et dirigens omnia.*”
 Citat SCHEIBLERVS, qui conferri possunt,
 RAY-

RAYMUNDVM DE SABVNDI in Theol. nat. Tit. 4. AVGVSTINVM L. I. de Civitat. Dei cap. 4. et ferm. 14. de Temp. GREGORIVM Lib. 26. moral. c. 8. DAMASCENVM L. I. de orthod. fid. c. 3. THOMAM L. I. contra gentes c. 13. BERNHARDVM in Cant. p. 662. IVSTINVM Tom. III. ad Græcan. fol. 178. Vide quoque TIMPLERVM in Syft. Metaph. method. Lib. IV. prob. 38. p. 415. et LE GRAND in Inst. philos. part. V. Art. I. p. 396. Perill. Baro de WOLFF in Cosmolog. lat. §. 48. mundum definit, *seriem entium finitorum tam simultaneorum quam successivorum inter se connexorum.* Atque communis Theologorum consensus idem confirmat. Vid. vener. TILEMAN in Fundam. Sion. Art. IV. Sect. II. p. 108. *Mundus, inquit, definitur totius universi visibilium omnium ac invisibilium systema.* Systema autem involvere connexionem, notum est. Conferri possunt CALVINVS in Inst. Theol. GVRTLERVS in Inst. Theol. REINBECKIVS in den Betrachtungen über die Augspurgische Confession. Ita quoque Pl. rev. F. U. RIES mundum omnium rerum creatarum *συστημα* nominat in Thes. Theol. Decad. VIII. p. 31. thes. 5. Atque sic evidentissimum est, mundum aspectabilem existere, quod contra MALEBRANCHIVM & alios Idealistas probarunt CANTZIVS in Psych. fac. cum aliis permultis Theol. & Philosoph, quos inter BVLFFINGERVS quoque hac de materia differens videri potest.

§. IV.

*Et opera
ipsa per
varias
classes re-
tensentur.*

Mundus itaque res corporeas omnes, quæ in vastissima hac machina continentur, includit, per varia genera & species distributas, simplices, compositas, elementa & quæ ex iis constant, visibiles, lucidas, pellucidas, opacas; inanimatas, animatas; fluidas, consistentes, molles, duras; coelestes, aëreas, terrestres, subterrestres; solem, lunam, stellas, cometas, planetas, meteora mineralia, metalla etc. etc. quæ in suis naturis, qualitatibus, operationibus et effectis mire variant, hominum considerationi et variis usibus deserviunt. Porro animalia bruta, volatilia, terrestria, aquatilia, etc. in quibus structuram organicam, facultatem loco motivam, sensus etc. & nescio quid hominum actionibus in quibusdam saltem analogumprehendimus; inprimis vero hominem, creaturam rationalem, Dei imaginem, terræ habitatorem, dominum, operum Dei spectatorem, admiratorem, prædicatorem, foederi etiam cum Deo innexum, qui Deo gloriam ex horum consideratione, in sua existentia, natura, nexu, fine & usu redderet, de quibus MOSES in hexaemero & passim verbum Dei agit. Genes. I. II. Exod. XX, 11. Iob. XXXVIII. seqq. Ps. VIII, 19. CIII. CIV. CXXXVI. CXLVII. Es. XL, 21. seqq. Jer. X, 10-16. & XXXIII, 20. usque ad fin. Amos. IV, 13. IX, 6. Matth. XI, 25. Act. IV, 24. XIV, 5-17. XVII, 24-28.

§. V.

§. V.

Sed de mundo visibili rerum materialium, quem oculis cernimus & manibus tractamus, vario usu & influxu in corpore nostro experimur, non agimus. De mundo spirituum separatorum, quos ANGELOS nominamus, eorum *Existentia*, & quousque hic seposito *S. Codice*, ex ratione et experientia progredi possimus, *essentia*, facultatibus aliisque, quæ ad illos pertinent, pro ratione instituti nostri, quædam commentari lubet.

§. VI.

Vox ANGELI origine *Græca* est, ἀπο τοῦ ἀγγελ-
 λειν, ab annunciando. Hebraice ex lingua Aethio-
 pica, uti linguarum periti observant, ገሰገሰ dicitur.
 Non itaque Nomen angeli *Essentiam*; sed *officium* notat. ODE in tr. de Angelis sect. I. §. 28. p. 21, ita differit: *Itaque nomen ipsum spectat munus et officium Angelorum. Sunt enim semper Spiritus; sed quando a Deo ad ministeria mittuntur aut missi sunt, compellantur Angeli; licet hoc nomen ipso usu et consuetudine iis privum fuerit factum et peculiare, quo ab aliis creaturarum, etiam rationalium speciebus distinguantur. Illud dudum a patribus ac primæ ecclesiæ Doctoribus adnotatum fuit. Quippe IVSTINVS MARTYR dicit. Ἀγγελος καλεῖται διὰ τοῦ ἀγγελλεῖν τοῖς ἀνθρώποις ὡσαύτως βλάπεται αὐτοῖς ἀγγεῖλαι ὅτων ὅλων ποιήσης. CHRISOSTOMVS, " Ἀγγελος λεγεται ἐπειδὴν τὰ θεῶν τοῖς ἀνθρώποις ἀγγελλει.*
 Plura ejusmodi testimonia ex ORIGINE, CYRILLO ALEXANDRINO, AVGVSTINO,
 B HIE-

Dissertationis præsentis objectum sunt angeli.

Significatio et usus vocis ἀγγελος in scriptura exponitur.

HIERONYMO, MINVTIO FELICE, GREGORIO notata sunt. Videatur SVICERVS et COQVEVS. Tribuitur vox Angeli in Scriptura Sacra etiam *hominibus v. g. nunciis vel discipulis a iohanne* Luc. VII, 24. *exploratoribus a filiis Israelis missis*, Jac. II, 25. Mentio etiam fit in ea frequens speciatim *Angeli certi increati*, qui DEVS, JEHOVA insignitur, atque ex attributis, effectis eidem assignatis, talis evincitur, Genes. XVI, 7. XXII, 5. XXXII, 24. *usque ad fin.* XLVIII, 16. Exod. III, 2. seq. XIV, 19. XXIII, 20. Act. XVII, 35-38. atque pluribus in locis, qui *filius Dei est, Angelus Goel, faciei, Dei Interpres, Michael, Archangelus* etc. dictus, a frequenti ipsius olim missione ad homines, imprimis ab officio reconciliationis Deum inter et homines procurandæ, et missionis in carnem ad eam necessariæ. Respondet denominatio: τὰ ἀποστολὰ Ἰησοῦ ὁμολογίας ἡμῶν, χριστὸς Ἰησοῦς Hebr. III, 1. Sed de creatis angelis nobis hic sermo est.

§. VII.

Quid Gentiles per *dæmonas intellexerint.*

Gentiles eos *Dæmonas, dæmonia, Genios, Intelligentias* vocabant. *Venerand.* TILEMANN in fundam. Sion. Art. IV. Sect. V. p. 116. Πάν το δαιμονιον μέγαζυ εἰσι θεῶν τε καὶ θηῶν, PLATO Conviv. p. 187. *Dæmonas αἰδίας ἐφέξης τοῖς θεοῖς ἤδη πρὸς υμᾶς μέγαζυ θεῶν καὶ τῶν ἡμετέρων γένος* PLOTINVS Enn. III. lib. V, c. 6. Animas vero hominum etiam corpore terreno solutas, dixerunt *Dæmonas*. PLATO in *Cratylo*: λέγει ἂν καλῶς καὶ ἕτος καὶ ἀλλοῖ ποιῆσαι πολλοὶ, ὅσοι λεγῶσιν ὡς ἐπιδαν τις ἀγα-

αγαθος ων τελευτηση, μεγαλην μοιραν και τιμην εχει και γενεται δαιμον, κατα την της φρονησεως επωνυμιαν. Ταυτη εν τιθεμαι και εγω, τον δαημονα παν' ανδρα ος αν αγαθος η δαιμονιον ειναι και ζων'α και τελευτησαν'α. PLVTARCHVS *de Orac defect* Tom. II. p. 431. ει γαρ αι διακριθεισαι σαματος η μη μεταχασαι το παραπαν ψυχαι δαιμονες εισι κ. τ. λ. LVD. LAVATERVS *in tr. de Spectr.* p. 2. "Gentiles teste AVGVSTINO et aliis Patribus, putarunt, animas hominum fieri demonas. Quodsi bonorum fuissent meritorum, Lares appellari, si malorum tum Lemures, tum Larvas. Quodsi incertum fuisset, bonorumve an malorum essent meritorum, tunc appellari Manes. Plura eam in rem ex aliis scriptoribus citari possunt.

§. VIII.

Sunt itaque ANGELI Spiritus finiti, a Deo *Definitio Angelor.* creati, per se subsistentes, materia expertes, intellectu, voluntate, potentia praediti. DAMASCENVS Angelum ita definit, quod sit *εστια νοερα ακινητος αυτεξστιος, ασωματος, κατα χαριν εν τη φυση το αθανατον ης εστιας το ειδος και τον ορον μονας ο κτισης επισταται.*

§. IX.

Sed ad probandam Angelorum existentiam, *Quid possibile vel impossibile sit, explicatur.* quousque ex ratione procedi possit, videamus. Possibilitatem existentiae Spirituum finitorum separatim existentium nemo facile in dubium vocare auit. POSSIBILE enim dicitur, quod existere potest; seu cui per existentiam complementum accedere potest.

potest. **EXISTENTIA** enim est possibilitatis complementum. Possibilitas rem ponit tantum in conceptu vel in causa; Existentia vero in se ipsa. Unde illud וַיְהִי & וַיִּבְרָא Vid. Genes. I, 3. Pf. XXXIII, 9. Esai. XL, 26. Act. XVII, 24. 28. Col. I, 16. 17. Apoc. IV, 11. Ill. **DARIESIVS** existentiam rei definit per qualitatem, qua possibile plus est, quam possibile. *Instit. Metaph. Phil. pr. Sect. I. §. 80.* Videatur etiam apud **SCHEIBLERVM** in *Oper. Met.* Lib. I. c. 15. 4. p. 184. *Possibile* alias dupliciter dicitur, *Intrinsece* et *Extrinsece*. Illud vocamus, quod non involvit repugnantiam seu prædicata contradictoria. Hoc consistit in causa, quando sufficienti facultate instructa adest causa, quæ rem in suo complemento tanquam existentem sistere potest. Unde patet, quid *Intrinsece Impossibile* sit, nempe illud, cujus constitutiva sibi repugnant; sive quorum unum destruit alterum, v. g. Circulus quadratus: mens extensa, seu materialis. Unde S. Scriptura talia de Deo negat, v. g. Deum non posse mentiri Heb. VI, 18. non posse abnegare se ipsum 2. Tim. II, 13. *Relate ad causam* vero seu *Extrinsece Impossibile* dicitur, quod causa producere non potest. Unde pro diverso respectu ad causas diversas idem possibile dici potest vel non. Quod apud creaturas impossibile est, apud deum possibile esse potest, v. g. creare, seu vocare וַיִּקְרָא וַיִּבְרָא Rom. IV, 17. Sic ex nihilo nihil fit, per causas secundas, et ex nihilo tamen omnia facta sunt, et non nisi ex nihilo fieri potuerunt. Ita ab impotentia totali non datur regressus

gressus ad habitum, scil. per causas secundas; fieri tamen illud potest per causam primam, qualia miracula dicimus, quae soli Deo competunt, Ps. LXXII, 18. Unde Deus vocatur *יהוה* Genes. XVII, 1. *ο παντοκρατωρ* Apoc. I, 8. Vide 2. Chron. XIV, 13. Joh. XII, 13. Ps. XXXIII, 9. CXV, 3. Esai. XL, 28. seqq. Jer. X, 6. XXXII, 17-19. Dan. IV, 34. 35. Luc. I, 37. Ephes. I, 19. Phil. III, 21. 1. Tim. VI, 15. Apoc. V, 12. 13.

§. X.

Hæc quidem facile ad possibilitatem existentia Angelorum transferre licet. Existit enim materia, vastissima illa hujus mundi moles, res iners, mere passiva, sui non conscia, nec ulla virtute agendi intrinseca prædita, quæ sua sponte determinare se nequit. Hanc tamen materiam divinæ essentia dissimillimam, Deus ex nihilo produxit, varie limitavit, modificavit, in varias species, quantitate, qualitatibus, virtute distinctas divisit, atque Sapientia et potentia infinita in illis documenta dedit. Quidni ergo Deus quoque Spiritus creare posset, qui plures longe et majores perfectiones in sua essentia includunt, quam materiae externa moles: qui sui sibi, Dei et aliarum rerum sunt conscii, atque suæ activitatis intrinsecum in se habent principium? Quo enim plures in re concipimus perfectiones, eo propior possibilitatis complemento seu existentia esse videtur. Porro, Deus ipse est Spiritus infinitus, summe perfectus, sufficientissimus, *vide loca § præced. citata*, qui se ipsum in se

Possibilitas existentia Angelorum ex ipsorum et Dei essentia assertur.

ipso contemplatur: præpotens ad omne possibile extra se tanquam causa constituendum. Quare ergo Deus non posset facere repræsentativam sui imaginem, quæ, sicut umbra corpus, speculum objecta refert, contineret divinarum perfectionum pro finitudinis modulo, etiam cum graduum aliqua varietate, repræsentativam *εκτυπωσις*? Annon Deus, qui mera lux est, *απροσιτος*, extra se *υφισταμενα*, stricturas primigeniæ lucis continentes et spargentes, mens in finita et actuosa perfectissime, alias extra se substantias cogitantes, minore tamen intelligentia, limitata actuositate gaudentes facere potuerit? Prototypon eorum Deus, in se ipso habet; nec potentia deesse ei potest, cui est infinita Esai. XL, 26. Talem gentiles de Angelis videntur habuisse conceptum, qui eos DEOS, *Deum atque mortales intermedios* statuerunt. Accedit in primis *mentis propriæ consideratio*. Ejus in nobis conscii sumus, atque ejus in nobis actuositatem in variis operationibus mentalibus experimur. Est ea substantia simplex, quæ ex materiæ conformatione coalescere nullo modo potest. Vim exerit in repræsentatione cum conscientia, intelligit, ratiocinatur, abstrahit, confert, notiones sibi fabricatur generales, eas sibi velut ex parallelo sistit præsentis, unam ex altera velut fœcundo ex ratiocinationis sinu elicit, longas demonstrationum necesse ambages, super se ipsa reflectit atque se ipsam determinat ipsa, ex interno *αυτεξουσις* principio; quæ omnia, cum materiæ conditionem longe excedant, nec ullo modo in ea concipi possint, mentem nostram

Et ex mentis nostræ natura confirmatur.

stram non esse concretam; sed substantiam simplicem, a corpore organico distinctam, vita et actiuitate in se ipsa præditam immortalem evidenter colligitur. Unde POETA GENTILIS nos DEI esse γενος dixit, Act. XVII, 26. atque supra, omnem virum bonum seu αχωντα seu τελευτησαντα dæmonium esse, ex philosophorum sententia vidimus. Ab illa itaque mentium nostrarum, substantiarum rationalium per se subsistentium analogia ad angelorum existentiae possibilitatem ex paritate rationis proclivis est argumentatio.

§. XI.

Neque probatione indiget sententia, quæ fere omnes saniores gentiles, Christianos, Philosophos Theologos ομοληφας habet. Adducimus eam in rem testimonium REINBECKII in tr. Betrachtungen über die in der Augspurgischen Confession enthaltene und damit verknüpfte göttliche Wahrheiten, part. I. p. 301, ubi ita differit: “Die
 „ Vernunft muß dieses bey dem Wesen Gottes gleich
 „ zu gestehen. Denn wir haben in dem vorhergehenden erwiesen, daß Gott seinem Wesen nach
 „ nicht nur ein Geist, sondern daß er auch der allervollkommenste Geist sey, und den allervollkommensten Begriff von allen Dingen zugleich und auf
 „ einmahl habe. Da nun ein solcher Geist nicht nur
 „ möglich, sondern auch würcklich vorhanden ist;
 „ und aber zwischen der vorstellenden Krafft der
 „ Menschen, und Gottes eine unaussprechliche Lücke und unendlicher Unterscheid sich findet; so ist
 „ ja

Ex aliorum testimoniiis idem confirmatur.

„ ja nicht nur möglich, sondern auch wahrschein-
„ lich, daß zwischen den Seelen der menschen, als
„ Geistern, und Gott als dem allerhöchsten Geist,
„ noch andere erschaffene Geister sich finden, die
„ da in ihrer Vorstellungs-Kraft vollkommener sind,
„ als die menschen, ob sie gleich die Vollkommen-
„ heit Gottes noch lange nicht erreichen können.
„ Die Seelen der Menschen steigen durch sinnliche
„ Vorstellungen zu dem Gebrauch ihrer Vernunft
„ hinan, und dies ist bey ihnen eine Art der Unvoll-
„ kommenheit; ob sie gleich eben deswegen, weil sie
„ vernünftige Vorstellungen haben, und haben könn-
„ en, verdienen Geister genennet zu werden. War-
„ um solte nun unmöglich seyn, daß es nicht auch
„ solche Geister geben könnte, die keiner sinnlichen
„ Vorstellung nöthig hätten, um zu vernünftigen
„ Vorstellungen zu gelangen? wären die letztern ob-
„ ne die ersten schlechterdings unmöglich, so köen-
„ ten sie auch in Gott selbst keine statt finden; sind sie
„ aber nicht schlechterdings unmöglich, und sie
„ streiten auch nicht mit dem Begriffe einer endli-
„ chen Creatur; so ist offenbar, daß auch pure Gei-
„ ster, ohne sinnliche Vorstellungen seyn können.
„ Und bey diesen haben eben auch wieder, wie bey
„ denen sichtbaren Geschöpfen, die mit sinnlichen
„ Vorstellungen begabt sind, sehr viele und unter-
„ schiedene Grade statt. Es kan nemlich ein Geist
„ immer fähiger seyn, etwas deutlich einzusehen,
„ oder auch mehrere sachen zugleich durchzuschau-
„ en, als der andere; gleichwie, im Gleichniß die
„ Sache vorzustellen, ein Licht-cörper nach seiner
ver-

„ verschiedenen Gröſſe auf einmal mehr oder weniger
 „ erleuchtet. Denn was bey einem Cörper die Gröſſe
 „ der Materie iſt, das iſt bey einem Geiſte die Gröſſe
 „ ſeiner Krafft „ conf. ODE lib. I. Sect. II. cap. 3.
 Ex PLATONE, PLOTINO jam audivimus Veterum
 testimonia. Conf. DIOGENES LAERTIVS
 Lib. VIII. Segm. 23, Neque mira hæc videri poſ-
 ſunt ei, qui Philoſophiam Veterum Aegyptiorum
 inprimis ſcrutatus fuerit, cujus ſchema deprehen-
 des in HENRICI CORNELII AGRIPPÆ tr.
 de occulta philoſophia.

§. XII.

Sed plus ultra ! A poſſibilitate Angelorum ad *Angelo-*
 exiſtentiæ eorum probabilitatem gradum promo- *rum exi-*
 vemus. Apodicticam Angelorum exiſtentiæ ex *ſtentiæ cer-*
 ratione vel experientia demonſtrationem fere ne- *titudinem*
 gant plures, probabilem, imo plus quam probabi- *ex ratione*
 lem certatim admittunt fere omnes. Vid. Rev. *plures im-*
 WALCHIVM in *Lex. Phil.* ſub nomine *Engel.*
 Inter illos eſt Vir Clar. BERTHOLDVS in hac
 Academia quondam Log. et Metaph. Prof. in diff.
 de Angelis, quæſt. I., ita diſſerens : “ *Ratio nega-*
tionis nobis eſt in promptu. Nam ſi ex lumine Na-
 „ *turæ evidens pro Angelorum exiſtentiæ argumen-*
 „ *tum poſſet dari, tunc ſumeretur vel ex Natura et*
 „ *Essentiæ Angelorum vel ex ipſorum effectibus. Aſt*
 „ *neutrum dici poſteſt. Ergo. Non illud; Nam*
 „ *quicquid non eſt de eſſentiæ Angelorum, pro illo*
 „ *non poſteſt ſolidum peti argumentum ex eſſentiæ.*
 „ *Sed Angelos actu exiſtere, non eſt de ipſorum eſ-*
 C *ſen-*

„fentia. Hoc patet inde; quia soli Deo hoc com-
 „petit. Ergo. Non hoc; Si omnes illi effectus
 „esse possunt a Deo aut aliis causis; tunc ex effectibus
 „illis non potest desumi argumentum pro Angelorum
 „existentia. At prius est verum. Ergo.,,

§. XIII.

Pro Probabilitate existentia Angelorum argumenta afferuntur, cum
 Horum argumenta recenset Cl. ODE in tr. cit. Sect. II. c. 11. p. 223. Potissima ex eo recensebo. Primum itaque desumitur a consideratione mentis nostræ. Sed nihil inde sequitur, nisi possibilitas Spirituum a mente nostra discretorum, de qua vidimus §. 9. 10. *huj. diff.* De existentia vero, quæ possibilitatis complementum est, hic quæritur. Secundo: Animæ nostræ, inquit, existunt, quarum productio causam requirit potentissimam, quæ æque facile Angelos producere potuit. Sed a posse ad esse non valet consequentia. Tertio. Potissimum quo angelorum existentiam adstruere volunt, argumentum desumunt a perfectione hujus mundi. Nempe ad perfectionem mundi omnes creaturarum species possibiles requiri. Nam quidem Deum fecisse res mere materiales; condidisse etiam hominem, ex spiritu i. e. anima nostra et corpore organico compositum. Alterum itaque extremum ad mundi perfectionem quoque requiri videtur: ut existant meri Spiritus, a corpore immunes; præsertim cum illi sint nobilissimæ substantiæ, et in nulla alia major sit ad Deum assimilatio, nulla, quæ plus participet de divinis attributis. Alias etiam res plures viliores Deum in mundum intulisse; nec cre-

credibile esse, quod non addiderit Angelos, tanquam nobilissimum sui speculum, in quo tot perfectiones diuinæ reluceant. Ita sentit SVAREZ, THOMAS alique. Sed perfectionem mundi nos non capimus, quæ intellectum nostrum superat; nec qualis illa esse debeat, a priori, determinare possumus. Sed a posteriori, qualem et quantam illam invenimus, inquirere debemus; cujus exiguam et minimam vix capimus partem: imo nullius, ne minimæ quidem rei cognitionem habemus adæquatam. Job. IX, 2. seqq. et XI, 5 - 9. XL - XLII. Ps. VIII, 4. 5. CIV, 24. CXXXIX. Prov. XXX, 2-5. Esai. XL, 12. LV, 8. 9. Jer. X, 12. Amos. IV, 13. Ephes. III, 10. Cl. ODE ad hoc argumentum reponit l. c. p. 226. “ *Ex præsupposita*
 „ *perfectione hujus mundi non sequi, nisi probabilem*
 „ *Angelorum existentia; non vero certam et indu-*
 „ *bitatam demonstrationem; tum, quia non necesse*
 „ *est, ut hæc universitas sit condita in omni ista per-*
 „ *fectione, quam habere potest. Sufficiat, quod*
 „ *fini sapientissimo Conditoris, id est, manifestan-*
 „ *dæ ac evidentibus indiciis probandæ, perfectio-*
 „ *num suarum gloriæ respondeat, atque congruat;*
 „ *tum etiam, quia a priori evinci nequit ad perfe-*
 „ *ctionem hujus mundi necessariam esse Angelorum*
 „ *existentiam; tum denique, quia, quæ nos puta-*
 „ *mus facere ad perfectionem hujus mundi, ideo*
 „ *quia nos id putamus, ad eam non sunt necessaria*
 „ *et reapse in mundo existunt. Sic enim otiosa ho-*
 „ *minum vanorum ac temerariorum ingenia pro arbi-*

„tratu suo excogitare multa possent,“ quæ quidem suo loco relinquimus; argumenti tamen hujus haud leve pondus agnoscimus. Quarto, producuntur etiam pro Angelorum existentia miri, qui in *Obsessis* se produnt, effectus: *Vulgata Ethnicorum Oracula. Spectrorum denique Apparitiones.* Argumento ab *Arreptitiis* seu *Obsessis*, multum tribuit SCHEIBLERVS in *Oper. Metaph. Part. II. de Ang. & VOETIVS* aliique permulti. Contra SCHEIBLERVM disputat Cl. BERTHOLDVS in *diss. de Angelis.* In Sacro Codice permulta Obsessorum atque notabilia prostant exempla, quæ frustra in alium violenter torquentur sensum a nonnullis. Sed nos jam agimus ex ratione et experientia. Illorum, quæ in Sacris occurrunt, speciales fuere causæ. In aliis extra S. Scripturam cautio admodum opus est, propter varias, quæ fruunt fraudes. Experientia fallax. Et fidem hic facile substringere, ubi certa plane et extra omnem dubitationis aleam posita non adsunt argumenta, erroris non caret periculo. Provocatur ad oracula gentilium; sed nec hic omnia plana et expedita sunt. CASPARVS PEVCERVS in *Comment. de præcip. divinat. apud Gentiles generibus.* Oracula ex præstigiis Diaboli immediate profluxisse multis perhibere conatur. CAELIVS RHODIGINVS et præprimis Van DALEN in *Diss. de Oraculis Gent.* fraudes hominum fuisse, censent; De posterioris libri et Auctoris meritis vid. in *novell. der gelehrten und curicusen Welt*, ad annum 1695. Nec gentilibus ipsis promiscue adrisit Oraculorum effa-

effata dæmonibus adscribentium sententia. Notus est CICERO, Oraculorum derisor in *Lib. de Divinat.* et alii addi possent. Forte nunc Diabolorum præstigiis, nunc hominum fraudibus tribui possunt. Tandem pro Angelorum existencia, quinto in medium quoque profertur *probatio ex spectrorum apparitione.* Vetusta et vulgata est de spectris sententia, et non desunt, quæ citantur, exempla, vid. IOANNES PRAETORIUS in *seiner Beschreibung des Blocksberges*, item, *Beschreibung des Rûbezahls*, HILDEBRAND in *Theurg.* H. C. AGRIPPA in *Phil. occulta.* Nec Theologi desunt, qui adstipulantur. J. H. HEIDEGGERVS in *Corp. Theol. Christ.* VOETIUS in *Disp.* BVDDEVS in *institut. Theolog. Dog.* BRAND in *Diss. de spectris.* Neque omnem fidem historicam infringere audemus, liberum cuique relinquitur iudicium. Sed annon ab animarum separatarum statu, de quo, seposita Scriptura S., ex ratione parum constat, exceptio formari posset, non liquet.

§. XIV.

In præcipuis adhuc addimus, quod, a glorificatione Dei in operibus suis, quam tanquam scopum & finem intendit, deducitur argumentum. Nimirum ratio, ob quam aliquid fit, dicitur rei FINIS. Terminum *finis* vix acuratus explanatum videbis, quam apud SCHEIBLERVM *part. I. Metaph. Tit. XXIV. Cap. 22.* Quomodo *finis* ω & *finis* 2 intelligendus sit, plures explicarunt. ARISTOTELES *Lib. I. de anima Cap. 4.* SVA-

*Argumen-
tum pro
existencia
angelorum,
et
glorifica-
tione Dei.*

REZ. *Metaphys. Disputat.* 23. IACOB MARTINI *Metaphys. Disput.* 12. Jam quidem Deus, qui est a se, finem extra se nullum quoque habere potest. Est enim Deus a se & propter se, consummatissimus in se, qui ab æterno solus existit in sua æternitate solus, in se beatissimus manere potuisset. Glorificatio enim Dei quoque extra Deum est; neque Deo in se quidquam addit. Quando enim Deus sanctificari, glorificari dicitur, intrinsece nihil inde in Deum redundat, sed est aliquid extrinsecum, a quo Deus denominatur. Hiob XXII, 2. & 3. XXXV, 6. & 7. Ioel III, 3. Nihilominus quando Deus extra se operari voluit, talia esse debebant opera, quæ Deo digna essent, et de Deo testarentur, in quibus adeo Deus se non relinqueret *αμαρτυρον* Act. XIV, 17. Se suam *הוה גרלה* *decus & gloriam* exprimeret, ut inde quam Deus sit *ευλογητος εις τας αιωνας* Rom. I, 25. *ברוך & βαρυτατος* in præponderantia præ omnibus rebus, perspici posset, a quibus tanquam effectis ad causam per viam causalitatis, eminentiæ & negationis ascendere liceat. Ps. VIII, 4. Ps. XIX, 1. usque 6. XCIV, 6. usque 10. Esai. XL, 26. XLIII, 7. LXI, 3. Rom. I, 19. seqq. Coloss. I, 16. & 17. Apoc. V, 13. *ευτρεπεσατον* itaque fuit, ut, quando Deus extra se varias res producere voluit, illæ divinarum virtutum, sapientiæ, potentiæ, bonitatis aliorumque in se contineret argumenta & vestigia ut homines Deum quærent *ει αγαγε ψηλαφησειαν αυτον και ευροιεν* Act. XVII, 26.

§. XV.

§. XV.

Cum itaque Deus *ens Sapientissimum & opti-* Quot ulte-
imum. Hiob XXVIII, 23. et 24. Pf. CIV, 24. *rius con-*
 Pf. XXXVI. CXLV, 1. usque 9. Jeremiae X, 12. *firmatur.*
 Rom. XI, 33. non potuerit non operari propter
 finem uti vulgo dicimus. *Deum & naturam nihil*
facere frustra Proverb. XVI, 4. Rom. XI, 36.
 Coloss. I, 16. Hebr. II, 10. Qui propterea etiam
ultimus dicitur. Esai. XLI, 4. *τελος* Apoc. I, 8. at-
 que idem etiam in aliis operibus nempe in opere
 gratiae finem sibi praestituerit, Rom. X, 4. Rom.
 VIII, 28. usque 30. Ephes. I, 1, usque 6. II, 12.
 2. Thess. II, 13. 1. Pet. I, 20, quin & *homini*
ipsi finem statuerit 1. Pet. I, 19. Salutem anima-
 rum, ita sapienter fini hominis naturali ejusque
 desiderio innexum, ut qui felicitatem suam vere
 curat, ad gloriam Dei sit, & qui gloriam Dei in
 omnibus quaerit, non possit non invenire feli-
 citatem suam: Finis autem Dei in operibus suis
 alius esse nequeat, quam gloria Dei, 1. Chron.
 XXIX, 10-13. Pf. VIII. XIX. XXIX, 2. Pf. XCV,
 1. CXXXVI. CXLV. Esai. XLII, 8. XLIII, 7.
 LXI, 3. Matth. VI, 13. Rom. I, 20-23. Confe-
 quitur omnia hujus mundi opera ita conformata
 & digesta esse, ut divinae perfectiones & gloria in
 illis conspici possint. Rom. I, 20; aliàs media fini
 non responderent: nec ad finem, gloriam Dei,
 proportionata forent. Genes. I, 31. verò omnia
 dicuntur *valde bona* fuisse, ex Conditoris sui judi-
 cio; quia omnia ad finem suum, quodque in or-
 dine & natura sua *κατηρησμενα* & concinne facta
 erant.

erant. Pf. CIV, 24. Jer. X, 6. 7. II. 12. Jer. XXXII, 17-19. extra illum vero finem omnia sunt הכל הכל & רעות כוח Eccles. I, 14. Sic quidem *Cœli enarrant gloriam Dei*. Pf. XIX, 1. atque stupenda ejus opera *sapientiam, potentiam, bonitatem Dei alte proclamant*. Esa. XL, 12-14. Pf. CXXXVI. CXLVIII. Sed frustra hæc omnia, nisi entia intelligentia, creaturæ rationales quoque conditæ fuissent, quæ divinarum virtutum radios & gloriam in vasta mundi mole & machina, operum harmonia & nexu variisque eorum speciebus recipere, intelligere, admirari atque ad laudes creatoris referre possent. Hic quidem jam locum suum invenit homo, ad *imaginem Dei* factus Gen. I, 26. 27. terræ dominus, reliquorum operum colophon & finis, Dei gloria, in quo se in primis condecorare voluit, qui singula opera, quodque convenienter naturæ suæ, & pariter omnia ad fines suos referret, atque ex iis, ad laudes Dei assurgeret, qui etiam singulare sapientiæ specimen in imponendo scite omnibus animalibus nomina, edidit, imago & gloria Dei Genes. I, 26, 27. 1. Cor. XI, 7. Sed & homo, absolutis jam operibus Dei, demum creatus fuit. Genes. I, 26. & *nunc in individuo, solus, cui deinde uxorem Deus addidit*. Genes. II, 18. & concreta homini primo Sapientia ad rerum omnium cognitionem & gloriam Deo exinde reddendam, per lapsum & aversionem hominis a scaturigine lucis, obscurata, decremента magis quam incrementa cepit, & homines nunc vix minimam magnalium Dei partem intelligunt,
ut

ut probabile non tantum sit, sed certum plane videatur, Deum ab initio statim *alias præter hominem creaturas* mere intelligentes, *Angelos* nempe, *maximo numero* Deut. XXXIII, 2. Ps. LXVIII, 18. Dan. VII, 10. *instar stellarum*, *quas numerare nemo potest*, Genes. XV, 5. creasse, qui divinarum perfectionum, Majestatis & gloriæ cognitione sibi indita præditi, & laudum divinarum concelebrandarum ardore accensi, jugiter absque intermissione gloriam Deo reddant Apoc. IV, 8; qui porro ex maximorum & stupendorum Dei operum contemplatione in cognitione & laude Dei confirmantur & perpetuo se impendant, facultatesque suas omnes exercent. Cum hisce S. Scriptura convenit, ex qua, Deum ab initio *וְכִתְּוּ וְכִתְּוּ* uti terram; *sed in sua perfectione* cum incolis suis & omni ornatu creasse, Genes. I, 1. 2. videtur, & angelos inter *primores creaturas* recenset Ps. CXLVIII, 1. 2. & *in fundatione terræ jubilasse & Deum laudasse*, ait Job. XXXVIII, 4-7, atque hanc ipsis *perpetuam occupationem* tribuit Ps. CIV, 20. 21. Atque hæc SCHOLASTICI per *cognitionem matutinam & vespertinam* significare voluisse videntur. Consentiant Theologi in hoc argumento. Unum citamus testimonium Ven. TILLEMANNI *in fundam. Sionis* p. 117: "*A priori quoque demonstrari potest: DARI ANGELOS. Cum enim ad Gloriæ suæ manifestationem omnia creavit Deus, non potuit angelos, agnoscendæ ac promulgandæ divinæ gloriæ capacissimos spiritus non produxisse.*"

§. XVI.

*Angelo-
rum exi-
stentia ex
S. Scriptu-
ra solide
probat,ur,
contra eos
qui eam
negarunt.*

Sic quidem *a priori*, quousque ex ratione progredi licuit, Angelorum existentiam adstruximus. Quod vero subobscurè & velut per transennam hætenus vidimus, id verbum Dei per disertissima loca de Angelis confirmat. Genes. II, 1. Job XXXVIII, 4. 7. Ps. CIII, 20. Matth. XXII, 30. 2. Cor. XII. Col. I, 16. 2. Thess. I, 7. Hebr. I, 7. 1. Petr. I, 11. 12. & in aliis locis quamplurimis evidentissime confirmat, atque angelorum existentiam per varia argumenta, tum per *Nomina* generalia, specialia, angelis bonis vel malis propria, tum per descriptionem *substantiæ* eorum, tanquam verorum *ὄψις αὐτῶν*, tum *essentiæ* eorum & *attributorum* ac *facultatum* ipsis competentium: tum *apparitionum* in forma visibili assumpta, frequenter factis in Scriptura Sacra commemoratarum; *expositionem status* ipsorum, felicitis vel infelicitis, denique per *enarrationem plurimorum in sacris, angelis tributorum adjunctorum, operationum, effectorum* sufficienter & solide evincit; quæ cum in Sacri Codicis lectione passim obvia sint, speciatim nunc allegare superfedemus. Fuere tamen olim et hodie, qui, nescio, qua mentis vertigine acti, *Angelorum existentiam, tanquam substantiarum substantium, & in verorum, realium entium censu positum, negarunt.* Ita olim SADDUCEÆI, qui dicebant: *Μη ειναι αναστασιν μηδε αγγελον, μηδε πνευμα* Act. XXIII, 8. Quæ quomodo ab iis, qui verbum Dei, *Pentateuchum* saltem, receperunt, dici potuerint, mirari quis possit.

fit. Fuere, qui IVSTINO MARTYRE teste, afferuerunt, Angelos esse ατμητας και αχωριστας θεες δυναμεις ας ο θεος βεληται προπηδας ποιει και παλιν ανασελλει εις εαυτον. Quæ nec cum simplicitate Dei, quæ nullas ηηλυσ emanationes admittit, nec cum Angelorum, verorum υφισταμενων, prout in S. Codice describuntur, natura conciliari possunt. HOBBSIVS putat, Angelos nihil esse aliud, quam phantasmata, quæ nec realia sunt, nec diutius permanent, quam somnium & Visio, in qua apparent; quæ phantasmata non substantiæ, sed accidentia organorum sentiendi sint. Improprie vero Nuncios vel Angelos appellari, quando a Deo ad voluntatem suam significandam supernaturaliter producuntur. Quæ mala sane hominis phantastici phantasmata nullo modo cum ratione sana & S. Scriptura, conciliari posse, evidens est.

§. XVII.

Angelorum itaque existentiam in antecedentibus adstruximus. Ut nunc autem in eorundem adfectiones quoque inquiremus, instituti ratio requirit. Sunt autem Affectiones Angelorum, vel *generales* vel *speciales*. Quædam enim Angelis tribuenda esse, quæ ex essentia & natura Angeli generatim considerati fluunt, & denuo quædam, quæ in eis secundum certas species concipiuntur, res ipsa docebit. Itaque cum §. 9. ea, quæ per naturam Angeli, in unoquoque generatim concepitibilia, tradimus, *speciatim nunc exponemus;*

quomodo vel ratio vel Scriptura hæc de angelis demonstret attributa generalia.

§. XIX.

*Angelo-
rum Spiri-
tualitas
adstruitur.*

Angelum esse Spiritum finitum §. cit. 9. et quidem ratione & Scriptura suffulti diximus. Iam antea etiam §. 17. quædam removimus, quæ Spiritualitati angelorum contraria, a quibusdam præter rationem proferuntur. Ratio equidem spiritualitatem angelorum clare asserit; nam non aliter quam ens simplex, conscientia sui, facultate representativa, & quidem celerrime ab uno objecto ad alterum se applicandi, abstrahendi & notiones universales faciendi, reflectendi super se ipso & suis actionibus, & ex principio interno spontaneitatis se determinandi, concipi potest, quod quidem saniorum philosophorum omnium consensu constat. In mera autem materia horum omnium nihil intelligi potest. Quicumque enim ea præfracte negare audent, quæ angelorum entitatem adstruunt, etiam eis Spiritualitatem detrectare evidens est. Hac vero demonstrata, simul istam evictam esse indubium est. Cum potissima existentia angelorum probatio, & simul ea, quæ de Angelis & operationibus eorum cognosci possunt, petenda sint ex Sacra Scriptura, lumine isto, quod nos ducente Spiritu Sancto simul in omnem veritatem ducit, etiam hæc in cognoscenda angelorum natura nobis præclarissime præluet, & rationi nostræ lumen affundit, ut inter utramque pulcerrimum exoriatur connubium. Difertis autem verbis Sacra
Scriptu-

Scriptura spiritualitatem angelorum, & ita, ut nihil excipi possit, quod cum ratione contra eam militet, adfirmat. PAVLVS, Vir, qui æque rationis principia, quam revelationis divinæ virtutes & efficaciam intelligebat, plane inconceptibile adserit, si angelos alio conceptu quam cum spiritualitate, definire vellemus. Hinc quasi cum admiratione & remotione omnis dubii Heb. I, 14. *Nonne omnes, inquit, sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui futuri sunt hereditare salutem?* Neque minus Apostolus v. 7. I. c. ex Ps. CIV. testimonium clarissimum citando, spiritualitatem eorum confirmat, dicendo: *Et de angelis quidem dicit: Faciens angelos suos πνευματα & ministros suos ignis flammam.* Cetera, quæ in Sacris literis angelis tribuuntur prædicata, cum iisdem ut subjectis connecti non possunt, nisi illis simul spiritualitas adscribatur, quorum unum alterumve evolvere, operæ pretium erit. Apostolus inquit I. c. *Angelos esse Spiritus administratorios.* Notio Ministerii quo angeli funguntur, involvit notionem spiritualitatis; & ex ea deducenda esset hæc adfectio, quod si etiam Apostolus expresse, Angelos esse spiritus, non adjecisset: quod brevibus probabo. *Ministerium Angelorum* in eo consistit, quod sint Legati Dei seu missi, & quidem ei fini, ut sint in utilitatem eorum, qui sunt hereditaturi salutem. Merum ministerium nondum ponit notionem intellectus & voluntatis; consequenter non spiritualitatis; siquidem res ministrans etiam solum ut instrumentum quoddam concipi

possit. Hoc ob id monemus, ut veritatem propositionum nostrarum, justitiam causæ nostræ ostendamus & concedendo adversariis, quæ simpliciter concedere non obligati essemus, tam eorum objectioni: quam nostræ refutationi omnem possibilem vim, vigorem atque rigorem permittamus. Hinc inde cum Paulus Ministerium istud speciatim determinet, & dicat, Angelos eo fungi in usum eorum, qui hereditabunt salutem, simul patet, eum iisdem rationem intellectum atque voluntatem, adfectiones spiritui proprias adtribuere. Deus enim ens Sapientissimum, qua ratione mittere potest in salutem fidelium suorum creaturas expertes omnis rationis, & distinctæ representationis? Multo magis cum opus salutis sit negotium omnem creaturæ captum superans, nequaquam, Deus ministerio creaturæ tanquam legati uti poterit, nisi sit creatura intelligens. Tam convicti hujus rei existimus, ut defendere conemur, omnem missionem Dei, indissolubilem spiritualitatis characterem necessario involvere in misso subiecto, id quod etiam Sapientiæ divinæ est quam convenientissimum. Nec minus irrefragabile testimonium spiritualitatis angelorum est, quando os veritatis, salvator noster optimus JESVS CHRISTVS de eis testatur Luc. XV, 10. *Angelos gaudere de peccatorum resipiscentia.* Gaudium non oritur nisi ex repræsentatione boni. Resipiscentia peccatorum autem non ut bonum repræsentari potest, nisi etiam simul concipiat subiectum istud repræsentans, quantum malum, damnum & detrimen-

trimentum ex peccato & quantum contra bonum, quanta salus & beatitudo ex refugio ad amorem Dei, in adprehendendo merito Christi, determinetur. Hoc modo autem angelum rationem & intellectum exercere suum: Hoc modo Angelum perspicere, quomodo peccatum cum detrimento, & resipiscentia cum salute: uterque autem status cum natura hominis cohæreat, cæcus videt. Quî autem ita conciliabis cum ente non intelligente? Hoc intellectum etiam entis sapientissimi superat, i. e. conciliabis nunquam. Videatur etiam Job. XXXVIII. Matt. XXIV, 36. & passim alia.

§. XIX.

Ex Spiritualitate sequitur Intellectus & voluntas. Eviſta igitur Angelorum Spiritualitate (§. 18.) *tam intellectum quam voluntatem iisdem competere*, longa demonstratione non indiget. Quin immo, cum Sacra Scriptura angelis utrumque attributum, satis evidenter tribuat, idem erit novum testimonium Spiritualitatis eorum. De ipsis Angelis malis dicitur Jac. II, 9. *eos credere Unum esse Deum, Deum cognoscere, vel saltem credere, cum sensus non incurrat, neque existentia Dei sensu solo capi possit, necessario ens quoddam cogitationis existentia divina capax supponit. Neque ulterius de eorum voluntate dubitare licet, cum intellectus rationem ipsius voluntatis contineat, & ipsa Scriptura testetur, angelos cupivisse introspicere in ea, quæ nunciata sunt fidelibus, per Evangelium & misso Spiritu Sancto.* 1, Petr. I, 12. Vid.

*Vi Spirituality
Angelis
competit
intellectus
& Voluntas.*

Vid. et. Jud. v. 6. Pl. CIII, 22. 2. Cor. XI, 14.
1. Sam. XIV, 20. Neque etiam *ratio* in his omni-
bus aliquid invenit, quod corrigat; quia gloria
divina, finis creationis angelorum ultimus, hac
ratione evehitur & extollitur quam maxime.

§. XX.

*Adversa-
riorum
opinionum
infringun-
tur.*

Evidens itaque est, nos summa ratione suf-
fultos in antecedentibus notasse eos, qui ipsis an-
gelis vel entitatem vel spiritualitatem detrectarunt.
Omnium enim tam SADDVCAEORVM quam
LIBERTINORVM HOBBSII & DAVIDIS
GEORGII opiniones, nempe Angelos vel plane
non esse Spiritus, vel non quidem substantias ve-
re subsistentes, saltem post apparitionem non per-
manentes, ex ante adductis in totum cadunt. Ne-
que quicquam angelorum Spiritualitati contradi-
cens adduci potest, quod non satis refutari possit.
Significatus terminorum præterea est arbitrarius.
Itaque, posito sed nunquam concesso, quod spi-
ritualitas Angelis in Scriptura non tribueretur ex-
presse; tamen nobis licebit, hunc significatum
termino isti adligare, cum præsertim in antece-
dentibus demonstravimus, quod significatus iste
sit possibilis, neque contra naturam Angelorum,
hanc habere adfectionem. At quod si etiam CAR-
DANO & cum eo LEVINO LEMNIO aliis-
que concederemus, quod ea quæ in Energumenis
seu arreptitiis observamus, non statim Spiritus
ut causam supponant; tamen negamus fortiter,
ex eo universaliter, *vel non dari Angelos aut*

non esse Spiritus, concludi posse, uti etiam per se patet.

§. XXI.

Simul autem adfirmavimus (§. 9.) hos spiritus, quos Angelos vocamus, esse finitos, quod etiam probatu facillimum erit. Cum in omni Spiritu sive sit infinitus, sive finitus repræsentandi facultatem deprehendamus; erit SPIRITVS FINITVS, cui in repræsentando certi positi inveniuntur termini, id quod in SPIRITV INFINITO secus est. Consequens igitur est, ut hic sibi omnia possibilis, ea quæ sunt, fuerunt & erunt, & præter ea omnia, quæ nunquam erunt, evidentissime repræsentet; quæ repræsentatio nullibi nisi in Deo deprehendi poterit, quod fusius demonstrare possemus, nisi res ita aperta & ab innumeris fere philosophis Theologisve extra omne dubium posita, ut supervacaneum esset, hic loci, id ipsum multis adstruere. Itaque, cum Angeli non sint Deus, ut qui attributis suis vi Principiorum Theologiæ naturalis ac revelatæ plane ab Angelis differt, *etiam ipsis infinitudinem attribui non posse, ipsa eorum essentia & natura docet.* Sed rei tam claræ diutius immorari nolumus.

Angeli sunt Spiritus finiti.

§. XXII.

A finitudine Angelorum, *eorum creatio plane est inseparabilis. Quapropter etiam (§. 9.) adsumimus, eosdem esse a Deo creatos.* Nemo de eo facile dubitabit, qui naturam entis infiniti cum finito bene contulerit. Etenim, cum Spiritui infinito, ob id, quod omnes possibilis perfectiones possideat,

Angeli sunt a Deo creati.

E

deat,

deat, etiam tribuenda sit ipsa Aseitas, vi cuius Deus ipse est existentiae suae ratio, fons & fundamentum; necessario etiam Ens a se est independens ab omnibus finitis, quae vero dependentiam suam in existendo ab ente isto necessario agnoscere debent. Itaque ut illud eo evidentius pateat, sunt Angeli Spiritus finiti (§. 21.), qui eo ipso varie in representando limitati, quorum limitum tamen oppositi, aequae ac praesentes in ipsis possibiles essent; id quod eorum in existendo contingentiam satis evidenter prodit. Si itaque existentiae eorum rationem quaerere velis, eam sane nullibi, nisi in ente necessario & a quo ob necessitatem aseitatemve cetera omnia dependent, invenies: siquidem *unum contingens alterius contingentis ratio ultima, per naturam suam esse nequit*, dum quod in uno quaeris & in altero quaerere debes, sic etiam unum alteri dare non potest, quae nunquam habuit vel habere unquam poterit. Quamquam autem HOBBSIVS neget, Sacram scripturam *disertis verbis, creationem Angelorum adserere*, eandem tamen idem, quod ex natura eorum evicimus, confirmare multis S. Scripturae locis facile probari potest. Cl. ODE omnia, quae tam ex ratione quam revelatione peti possunt argumenta, congeffit *in tr. saepius citato*, quae ibidem fusius legi possunt. Hac de re breviter at nervose loquitur, “ *Deum esse Angelorum creatorem*, inquit, *etiam Sacra Scriptura evidenter docet. Deus enim in principio rerum omnium, non tantum creavit caelum & terram, eamque rudem & indigestam materiam, solo potentissima volunta-*
admi-

33 tatis jussu in hanc ornatissimam mundi fabricam,
 33 admirabili sex dierum opificio disposuit sapientis-
 33 sine, sed etiam omnem eorum exercitum, perfe-
 33 cit, Genes. I, 1. coll. cum Cap. II, 1. Ps. XXXIII,
 33 6. & Nehem. IX, 6. Cum autem angeli sint atque
 33 vocentur exercitus cælorum Ps. CIII, 20. 21. &
 33 Reg. XXII, 19. & Luc. II, 13. & Domini Ps.
 33 CXLVIII, 2. liquet, eos quoque a Deo esse creatos.
 33 Hinc mihi ut videtur secundum rationem recte con-
 33 cluditur: Angeli, quia Dei sunt ministri ad jussa
 33 ejus exsequenda ornati, sunt quoque illius crea-
 33 turæ. Angeli, porro, Deo ministrant, & coram
 33 throno ejus stant ad ministeria, Dan. VII, 10. ac
 33 sunt promptissimi paratissimique ministri. & spiri-
 33 tus ministratorii, qui ad ministerium a Deo mit-
 33 tuntur. Hebr. I, 7. 14. Cum hoc ipsum mini-
 33 sterium evidenter prodat probetque angelorum a
 33 Deo dependentiam (quod non servirent Deo,
 33 ejusque mandata exsequerentur, si a se ipsis, sui-
 33 que juris essent) eaque dependentia arcessenda sit,
 33 aut originem duxerit, ex eorum creatione, adeo
 33 ut angeli jure creationis, a Deo tanquam Domino
 33 suo dependeant, sequitur, eos a Deo esse creatos.

§. XXIII.

Hinc tam obstante Angelorum natura, quam *Quæ con-*
 loquentibus tam evidentibus Sacræ Scripturæ te- *tra Crea-*
 stimoniis, neque iis accedere possumus, qui vel *tionem*
 omnem Angelorum creationem infringere, vel eorun- *Angelo-*
 dem generationem humanæ similem inducere ausi fue- *rum profe-*
 runt. Priores ab Ecclesia jam damnatos refutare *runtur,*
 E 2 *enervan-*
 super- *vantur.*

supervacaneum fere est, praesertim cum error eorum se tam evidenter manifestet. Nam cum MANICHAEI, PRISCILLIANIque, sententiae hujus defensores fatui, statuunt angelos non esse creatos, sed ex essentia Dei prodisse & genitos esse, patet, hoc ipsum vel contradicere eorum finitudini, jam antea evictae, vel simplicitati divinae. Utroque casu haec sententia absurda erit. Posterior sententia, quam amplexus videtur cum MOSE BARCEPHA & multis aliis JUDAEORVM, GREGORIUS NYSSENVVS lib. de Opific. hom. & CAESARIUS in dialog. 3, quanquam dependentiam Angelorum a Deo non tollat; tamen ob rationes gravissimas eidem accedere non possumus. Id enim ponit: *Deum quidem quosdam: sed non omnes ab initio bujus mundi creasse angelos; ceteros autem per modum generationis ab eis, qui ab initio creati, prodire.* Naturae enim Angelorum cum haec sententia plane non sit conformis, quippe qui simplices, Spiritus, omnis materiae expertes; nullo modo alicujus generationis capaces sunt. Id eo magis patebit, quando deinde ostendam, quod ne quidem Angelis corpora, habitacula Spirituum suorum adscribi possint. Cum autem generatio necessario corpus requirat, ita nullus angelus, omni corpore destitutus, sui similem procreare potest. Priorem sententiam Cl. ODE ex WOLFGANGO MVSCVLO refutavit. „Non esse, inquit MVSCVLVS in loc. commun, Angelos genitos ex Deo, sicut Christus, testatur Apostolus Heb. 1, cum dicit: Cui enim angelorum dixit aliquando: Filius

„ *Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursus:*
 „ *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in fili-*
 „ *um. Quod autem Job. I. & XXXVIII. angeli*
 „ *vocantur Filii Dei, non est intelligendum, quod*
 „ *sint naturales filii Dei, sicut Christus, qui solus*
 „ *naturalis est filius, ideoque & unigenitus; sed*
 „ *quod sint filii gratiæ & adoptionis sicut omnes*
 „ *electi. Et quanquam cum Cl. ODE, SCVL-*
 „ *TETI sententiam amplectar, & putem, illos*
 „ *non accurate filios adoptionis nominari; tamen*
 „ *patet, hanc denominationem alius esse rationis*
 „ *quam si sacra scriptura hoc termino ad signi-*
 „ *ficandos filios naturales utatur. Ita etiam ra-*
 „ *tionem posterioris sententiæ CHRYSOSTOMVS*
 „ *Homil. XXII. in Genl. τις αν καν σφοδρα μεμνηως*
 „ *η, καταδεξαιτο το βλασφημον τουτο ρημα και πολλης*
 „ *γεμον της ανοιας και οτι η ασωματος φυσικη και νοερα*
 „ *σωματων συμπλοκης ηνεσχετο. Itaque procul dubio*
 „ *Sacra Scriptura hanc Angelorum adfectionem haut*
 „ *obscure indigitare voluit, cum eos ubivis πνευμα-*
 „ *τα nominat, eisque omnem carnem ossaque ei ad-*
 „ *juncta, deneget Luc. XXIV, 39.*

§. XXIV.

Varia autem quaestiones adhuc resolvendae *Quo tem-*
 supersunt, quae circa Angelorum creationem ori- *pore An-*
 ri possunt. Angeli nimirum cum sint a Deo crea- *geli sint*
 ti, vel extiterunt seu producti sunt ab aeterno vel *creati.*
 in tempore extiterunt. Prius non facile quispiam
 adfirmabit, neque operæ pretium erit, de hac
 re fusius differere, cum MOSES satis clare Genes.
 I. testetur, totum universum, consequenter et-

iam Angelos coelum cum ejus exercitibus, Deum non ab æterno; sed in tempore produxisse; creatum enim esse, hoc est initium & causam habere & æternum esse sibi contrariantur. Hinc quæstio est Theologorum, *quo tempore, quo die creati sint Angeli.* Cum S. Sacra non ita clare uti de rebus fidei, de Angelorum die creationis differat, etiam variæ exinde profluxerunt opiniones. Primo autem exoritur quæstio, *An Angeli, quamvis non sint creati ab æterno, tamen sint producti vel ante conditum mundum aspectabilem, vel non;* circa quam quæstionem PATRES tam GRAECI quam LATINI mire variant. *Priorem* sententiam amplexi sunt BASILIVS, GREGORIVS NAZIANZENSIS, CHRYSOSTOMVS, DAMASCENSIS, DIONYSIVS, AMBROSIVS, HILARIVS, HIRONYMVS, CASSIANVS, BEDA, & uti quibusdam videtur ORIGENES. *Contrariam* sententiam defenderunt: EPIPHANIVS THEODORETVS, PROCOPIVS, AVGVSTINVS & alii, quibus etiam accedit CONCILIVM LATERANENSE, Deum simul in tempore condidisse creaturam Spiritualem & corporalem, affirmans. Angelos non ab æterno, & quidem *non ante conditum mundum:* sed cum eo esse creatos, ita evidens est, & ex S. Scriptura probari potest, ut etiam isti Patres, qui creationem Angelorum ante conditum mundum statuunt, ob claritatem horum testimoniorum, sic dubii sæpius hæreant, ut sibi ipsis non constent, sed non raro a sententia recedant, quam antea amplexi erant, cujus rei præter

ter alios ORIGENES probationi esse potest. Rationes etiam, quas ad adstruendam opinionem suam adducunt, eæ sunt, ut exinde id quod probandum erat, deduci non possit. Nam propositiones: *Deum non creando quiescere*; seu etiam *non operando in creata, quiescere*, seu otiosum esse, simpliciter nego, nisi antea probaveris, Deo ad summam suam beatitudinem, felicitatem & actuositatem simpliciter creatura opus esse, quod nunquam probabis. Multo magis cum coeli & exercitus eorum parati & consummati sint actu concatenato, & in tempore, una serie a die ad diem continuato, uti videre est Genes. II, 1. coll. cum Genes. I., nostra quidem sententia, ea magis credenda sunt, quæ haut violentis conclusionibus ex ipsissimis S. Scripturæ verbis fluunt, quam quos alii somniant reipublicæ divinæ nexus.

§. XXV.

Scientibus nobis, Angelos non ab æterno; *Quo die Angeli creati sint.* sed in tempore esse creatos (§. 24.) quæstio illa, qua, *quo die angeli sint creati* quæritur, non magni usus esse potest. Ast, ut videamus, qui homines suis opinionibus solum indulgentes sæpius præter Scripturam loquantur, hanc quæstionem brevibus perlustrabimus. Variæ de hac die determinanda leguntur sententiæ, quas quisque pro modulo illo, quem ipse excogitavit, & Sacra Scriptura non confirmat, pro veris habet. Hinc fit, ut multi **IVDAEORVM**, & cum iis perplures alii, mox hunc, mox illum diem, Angelorum creationis diem.

diem adferant. Satius esset cum CALVINO in *Instit. Lib. 1. cap. 14.* dicere: "*De tempore vel ordine, quo creati fuerint, contentionem movere, nonne pervicaciae magis, quam diligentiae est? Terram esse perfectam, & caelos perfectos; cum omni exercitu eorum, narrat Moses: quid attinet anxie percontari quoto die praeter astra & planetas, alii quoque magis reconditi caelestes exercitus esse coeperint?*" Interim cum Sacra Scriptura & Ratio habeat, ex quibus colligere fas est, multo magis cum Scriptura, majori securitate, quam praeter eam conjecturare possumus. Toti autem creationis historiae, magis consentaneum est, primum quam alium temporis diem, simul statuere Angelorum omnium primordium; nam & inter primores creaturas referuntur Ps. CXLVIII, 2. & caelum non dicitur conditum fuisse *וְהָאֵרֶץ וְהַיָּם* uti de terra dicitur statim, sed cum incolis suis. Gen. I, 1. 2. Atqui vero, cum Deus narrante MOSE vastissimum illud Chaos ex omnipotentiae suae abyssu produxerat, simul eodem die creavit cum eo, totum omnium Angelorum numerum, qui Sapientissime operantem admirarentur Deum. Adferentes eandem sententiam produco Viros Vener. MOMMAM, ALTINGIVM, GVRTLERVM ex *Evangelico Lutheranis* BAYERVM, BVDDEVVM, IAEGERVVM aliosque Reformatorum Lutheranorumque permultos, magni nominis Theologos. Job. XXXVIII Scriptura adferit, *Angelos extitisse, cum Deus fundaret terram, quae fundatio facta est separatione materiarum in choa-*

choatica ista massa simul existentium, & denuo aridi a fluido, variisque omnipotentiae divinae subsecutis operationibus. Itaque cum id ipsum fuerit primi diei negotium divinum potissimum, Deum eodem die creasse angelos, & quidem post *creatam choaticam massam*, at nondum fundata terra, nobis omnium opinionum probabilissima & Sacrae Scripturae convenientissima videtur, quam sententiam etiam fovet clar. ODE.

§. XXVI.

Vidimus, quid statuendum sit de tempore *De Numero*
Creationis Angelorum. Superest, ut brevibus *ro Angelo-*
de *Numero* quo eos, Deus creavit, agamus. De *rum.*
numero autem Angelorum nihil certi adducere possumus, nisi quod eum cum S. Scriptura innumerabilem nominemus. CASPAR. SCHOTTVS *Lib.*
I. Mirab. Angelor. in Phys. sententiam Patrum quorundam, nimirum HILARII, AMBROSII, GREGORII NYSSENI, CYRILLI HIEROSOLYMITANI, DIDYMI, &c. his verbis adducit: “ Igitur nonnullis Veterum placet, eam esse rationem
,, multitudinis Angelorum ad hominum numerum,
,, quae est nonaginta novem ad unum, quoniam id
,, suadere videtur parabola illa hominis Matth.
,, XVIII. & Luc. XV, qui centum oves habens, unum
,, amisit, eamque relictis nonaginta novem, questum abiit, & inventam humeris reportavit,
Sepositis autem ceteris difficultatibus, quae circa hanc argumentationem observantur, tantum animadvertimus, quod etiam hoc modo Angeli nobis

bis adhuc sint innumerabiles. Uti enim unitas ipsa definiri & determinari nequit adsumpta; ita etiam numerus angelorum, numero exprimi non poterit numerato, uti facile patet. *Filii Abrahami nominantur innumerabiles*, Genes. XVIII. XXIV. Hinc facile id ipsum ad Angelos transferre licet. Hinc etiam dicitur Dan. VII, 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Apoc. V, 11. numerantur secundum *μυριάδας μυριάδων, και χιλιάδας χιλιάδων*. Et quomodo pulchrius innumerabilem Angelorum numerum exprimeret Scriptura, quam quum quaerit: *Nunquid est numerus militum ejus?* Job. XXV, 3. Ridicula autem præprimis est JVDÆORVM de numero Angelorum sententia, quam ANTONIVS LE GRAND distincte exposuit, & operæ pretium erit, eam ipsius verbis, uti leguntur *in ejus institut. phil.* hic recensere. Ita autem differit, *Art. VI, Part. III. p. m. 335. TALMVDISTAE* Angelos ad certum quendam numerum redigunt, eos per turmas distribuendo, & cuique earum suos veluti milites assignando. Quippe secundum R. P. *GEORGIVM VENETVM* ex ordine S. Francisci distinguunt Talmudistæ Angelorum exercitus in Mazaloth, El, Ligion, Rihaton, Chirton, Gistera. Mazaloth autem dicunt, esse cohortes triginta pro quolibet illorum duodecim. Unde sunt in numero trecentæ sexaginta Angelorum cohortes. Legionem autem multiplicat illum numerum trecentorum sexaginta per triginta. Unde resultat numerus decem millium & octingentorum. Et hunc numerum ipsi
Tal-

Talmudistæ multiplicant pariter per triginta. Et sic fit Rihaton, constans ex noningentis millium millibus, & septuaginta duobus millibus. Et hunc numerum pari modo per triginta multiplicant, unde resultat Gistera, constans ex ducentis nonaginta & uno millium millibus, & sexcentis millibus. Quorum omnium summa est trecenta & unum millium millia, sexcenta & quinquaginta quinque millia, centum & septuaginta duo, ut ex subiecta Tabella patet

12	-	-	12	Mazaloth
<u>30</u>				
360	-	-	360	El
<u>30</u>				
10800	-	-	10800	Ligion
<u>30</u>				
324000	-	-	324000	Rihaton
<u>30</u>				
9720000	-	-	9720000	Chirton
<u>30</u>				
291600000	-	-	291600000	Gistera
			<u>301655172</u>	Angelorum cohortes omnes simul.

Hæc omnia, cum eorum nullum solidum ostendi possit fundamentum, contrarium cum ex S. Scriptura probavimus, per se ipsa cadunt; multo magis cum ANTONIO LE GRAND ex GREGORII verbis addentes: "*In cognitione humanæ rationis, supernorum Spirituum numerus non est.*"

„ Quia, quanta sit illa frequentia invisibilis exerci-
 tus, nescit. „ Parem exiguam probabilitatis,
 imo nullam speciem, præ se ferunt sententia GRE-
 GORII Hom. 84. adferentis, tot esse angelos
 quot homines salvandi, & AVGVSTINI,
 statuentis in Enchirid cap. 29. & l. XIII. de Civ.
 Dei. cap. 2. statuentis, tot esse homines salvandos,
 quot angeli ceciderunt. Sed neque ex his, uti patet,
 numerus angelorum determinabilis erit; & in ge-
 nere cum Scriptura tacere, quam dubii & anxii
 probabilitatem defendere malimus.

§. XXVII.

*De Ange-
 lorum Or-
 dine.*

Cum tam ingens sit angelorum numerus, uti
 §. præced. exposuimus; merito nunc quaeritur,
 an inter omnes singulosque unus idemque ordo obti-
 neat, vel num ex diversitate munerum etiam unus
 alterum dignitate vel potestate superet Angelus.
 Quod si rem in se consideramus, nihil quidem est du-
 bii, quin Deo producendo & creando hos spiritus,
 possibile fuerit, eosdem cum diversitate cognitio-
 nis, voluntatis, potentiae, & quæ sunt ceteræ ad-
 fectiones, existentes reddere, & ita certum quen-
 dam eis imponere & inducere ordinem, ita ut
 ob majorem perfectionem unus præ altero etiam
 majori fungeretur munere, & hoc caractere a
 ceteris distingueretur. At, de possibilitate hu-
 jus rei, nemo facile dubitabit, de qua etiam hic
 loci nobis sermo non est, cum multo magis quæ-
 stio sit an *revera* talis ordo in Angelorum Republica
 offendatur. Notum est figmentum illius DIO-
 NYSII

NYSII falsi AREOPAGITAE, ab Ecclesia Pontificia receptum, univcrsum Angelorum numerum *tres in Hierarchias*, & quamlibet Hierarchiam *in tres iterum Ordines* dividens, ita ut juxta communem ordinum enumerationem, primæ *Thronos, Seraphinos & Cherubinos*, quæ Hierarchia a FLVDDO DE FLVCTIBVS nominatur *Epiphania*, adtribuat angelos. Secundæ, quæ cicato Auctori *Epiphonomia* audit; *Dominations, Virtutes & potestates*, & Tertriæ denno, quæ *Ephionia* dicitur, *Principatus, Archangelos & Angelos*, seu modo inverfo, uti alii ordinem recensent, adnumerat. Ab hac sententia, non multum aberrat JVDÆORVM, angelos, ארזלים יאופטס יהות הקדש, אלהים מלאכים ישראלים השמלכם אשים כרובים י בני אלהים distribuentium. Neque ordinem Angelorum, cum Scriptura de eo testetur, negamus; neque autem hunc judæorum, neque illum Dionysii & Pontificiorum agnoscimus, omni destitutum, vel rationis vel Scripturæ & revelationis fundamento. Certum angelos intercedere ordinem, Scriptura satis confirmat, quando angelos exercitus coelestes vocat; in exercitu vero ordo obtinet; atque Scriptura, quando de Angelis malis loquitur, Principem quendam memorat, huicque regnum adtribuit. Matth. XII. Neque putandum est, quod, etiam gratis si concedamus, Angelorum classes determinari posse, numerus unicuique classi competens, determinari possit, id quod omni concludendi principio caret, & de quo etiam S. Scriptura ubivis tacet. Ast, nullus si locus

ostendi possit, ubi a Sacra Scriptura Angelorum numerus certo determinetur, nobis iudicibus, vanitatis indicium est, ea determinare, quae liberi sunt arbitrii divini, & de quibus ne jota quidem Deus revelavit unquam. Imo S. Scriptura recensitos non uno argumento confundit, quod pluribus facile ostendi posset. Itaque ridemus eorum temeritatem, qui hoc de numero aliquid certi proferre se posse jactitant. Sive enim cum PONTIFICIIS numerum, 4435556. pronunciaveris numerum malorum Angelorum; sive eum ad unitatem restrinxeris, nos nunquam habebis consentientes; priorem sententiam merum figmentum habentes, posteriorem autem Revelationi plane contradicentem, in qua Diaboli & Angelorum ejus haut infrequens fit mentio. Vid. Matth. XII, 7. 9. Nolumus εμβάτευσιν εἰς ἀμὴν εἰσρακάμεν. Col. II. 18.

§. XXVIII.

*Angelo-
rum Sub-
stantiali-
tas confir-
matur.*

At, quamvis nunc in antecedentibus pluribus evicimus, quod Angeli a Deo sint creati; tamen eo ipso eorundem substantia, & affectio ista, qua, eos esse per se subsistentes, adfirmavimus, non tollitur. Deum nunquam excludimus. Quapropter, si Angelis, eos per se subsistere, tribuimus, eo ipso HOBBSII, LIBERTINORVM & aliorum errores infringere intendimus, Angelos mera animarum nostrarum accidentia & phantasmata profitentium; cum eos multo magis veras *substantias*, & qui vi eis a Creatore potentissimo indita, per se subsistere possunt, certissime credamus.

mus. Etenim cum jam supra probatum ivimus, Angelis certo certius spiritualitatem competere, vel illam negare vel eorum substantialitatem, vi cuius non ut determinatio rei alterius existunt concedere, quisque cogitur. Prius cum sit absurdum; ut cuius oppositum supra evicimus; posterius negare nemo potest. Operationes & cetera, quæ Angelis in Sacra Scriptura tribuuntur, nos non dubios faciunt, eis veram substantialitatem competere. Contrariam fovendo sententiam, plane inconceptibile erit, id quod Sacra Scriptura recenset factum, quod *David viderit Angelum, qui mandato Dei tantam populo Israelitico immiserat pestem.* 2. Sam. XXIV. Multa prostant in Revelatione loca, quæ idem profitentur. Vid. Genes. XVIII, 2. Num. XXII, 22-35. Pf. XXXIV, 8. XXXV, 5. 6. XCI, 11. CIII, 20. CXLVIII, 2. Neque etiam ea, quæ in Apocalypsi sunt frequentia Angelorum negotia, cum intelligentia accipere possumus, nisi eas veras substantias statuamus, id quod cuilibet S. Scripturam legenti, facile obvium erit.

§. XXIX.

Angeli itaque sunt *substantiæ*, (§. 28.) eæque Spirituales (§. 19.), uti eandem adfectionem in anima nostra deprehendimus. Non sine ratione igitur inter Theologos quæstio exorta est, an Angelorum substantialitas spiritualis se eodem modo, uti in anima nostra eam deprehendimus, habeat, de quo varias apud Autores deprehendes differentes sententias. Quæri enim posset an Angelus ratione

*An Angeli
babeant
corpora.*

Spi-

Spiritualitatis similitudinem in eo quoque cum anima nostra habeat, ut *instar animæ nostræ corpori sit alligatus*; vel num in mera Spiritualitate subsistat, quarum quæstionum tenor ab altero adfirmatur, ab altero negatur. Et ut simul lectioni Veterum, tam Patrum quam aliorum via paretur, & mediante ea, verus controversiæ status detegi & determinari posset, cum AVGVSTINO varios Corporis conceptus enumerabo. Horum ex significatum numero primarius quidam est, quod omne istud, quod quidem est natura sua ens simplex; tamen mutationibus obnoxium & consequenter finitum, *corporeum* quid dicatur. Etenim cum mutatio hujus rei adest, eam concipere nolunt; nisi etiam varia adessent, harum mutationum constitutiva, quæ eas determinarent. Hic significatus apud ipsum AVGVSTINVM obtinet, qui hanc ob rationem *omnem spiritum finitum corporeum* nominat. Tom. II, cap. 8. de Sp. & Anim. Postea animadvertimus, omni Corpori easdem adfectiones competere, ex quibus CARTESIANI *spatium* dignoscunt, ex qua ratione utrumque eis unum est & idem. At cum Veteres discrimen agnoverint inter *Spatium merum* & *Corpus*, priusque tantum pro quadam re habuerint seu *φασει*, quæ in sola repræsentatione existeret; sic etiam factum est, ut significatum Corporis in mera sapius oppositione ad id, quod quidem corporalem quandam extensionem mentiatur, revera tamen ex partibus realibus non consistat, acceperint, seu *φασει* vel *φαντασματι* opposuerint. Voce Corporis
hoc

hoc in significato accepta, TERTVLLIANVS ad significandam completam substantialitatem divinam, *ipsum Deum Corpus* nominavit. Sed verba cum valeant ut nummi, nobis idem esse potest, quem quisque cum symbolis suis combinare velit significatum, modo nos eadem libertate usi, & simul communem loquendi usum secuti, veritatem profiteri possimus. Hinc quando nobis quaestio est, an Angeli sint substantiae corporeae, hanc propositionem *in neutro indicatorum significatum* acceptam volumus, quod etiam usui loquendi esset incongruum; siquidem sub his circumstantiis haec propositio apud nullum Scriptorem neque sacrum neque profanum sensum habeat, ex significatibus antecedentibus determinandum. Itaque, quando de puritate Spiritualitatis Angelorum, sermo fit, sub opposito ejus non mera complexa *cogitabilia*, ad quae Spiritum etiam referri posse, non negamus; sed complexa *partibus realibus a se invicem distinctis* quae constant intelliguntur, & quae vera & realia composita, seu Corpora nominare consuevimus. Talia autem Angelos habere corpora, sibi persuaferunt permulti Veterum & Recentiorum, tam Philosophorum quam Theologorum. PLATONICI Spiritualitatem Dæmonum in mera subtilitate materiae quærebant, putantes, ob eam Dæmonas commode Spiritus nominari; quod vero confusio essentiarum rerum, quae revera distinguuntur, nominanda, & cui ob id, & ob rationes in superioribus ubivis obvias, nullo modo adstipulari possumus. Hinc etiam ipsi PLA-

G

TONI-

TONICI sibi non constant, & modo ipsam Angelorum substantiam corpoream statuunt, modo ipsis præter corpus peculiarem spiritum concedunt. Et quis hic omnes Philosophorum, judæorum & Muhamedanorum fabulas ac chimæras recenseret, quarum recensioes facere simul earundem refutationes producere esset. Hinc lubentes hoc labore superfedemus. Eorum, autem qui Angelis peculiaria corpora præter Spiritualitatem, adscripserunt, Theologorum sunt permulti. Præcipue hæc sententia PATRIBVS communis fuit, ex quibus recensemus IVSTINVM MART., METHODIVM, ORIGENEM, THEOGNOSTVM, BASILIVM, MACARIVM, CYRILLVM, TERTVLLIANVM, HILARIVM, AMBROSIVM, AVGVSTINVM, & alios. Recentiorum temporum, tam pontificiæ quam Protestantium Ecclesiæ huc referendi sunt Theologi ac Philosophi ALBERTVS MAGNVS, THOMAS AQUINAS, IOANNES SCOTVS, NICOLAVS CVSANVS, AVREOLVS, omnes vel angelis corpora adscribentes vel eos cœlestibus corporibus & ut propterea Dulciæ cultu prosequendos jungentes. Porro: C. VORSTIVS, J. CLERICVS, J. C. LOERSIVS, J. T. CANZIVS. Sed cum hæc omnia iis contradicant, quæ jam antea de Angelorum Spiritualitate differuimus, etiam horum sententiæ subscribere non possumus.

§. XXX.

*An angelis
petat lo-
quela.*

Angeli omni destituuntur corpore, & in mere spiritualitate subsistunt (§. 29). Interim, cum
saltem

saltem Angeli boni, missi sint in ministerium eorum, qui sunt hereditaturi salutem, etiam inter eos sit quaedam communio ac Societas, sine omni est dubio. Atqui cum ad hanc requiratur ut unus cum altero cogitationes suas communicare queat, multas multi difficultates circa conservandam hanc Angelorum communionem societatemve, se deprehendere autumarunt, si Angelis omnis materia præscindatur; quia tunc nihil superfit, ex quo inter eos intercedens *loquela* concipi possit. Sed ita argumentantur ab una loquelæ specie ad aliam, cui adstipulari non possumus. Loquela nostra, a qua nimirum concludunt ad loquelam Angelorum, corpus quoddam requirit, si alter cum altero cogitationes suas communicare velit; sed non statim concludendum est, quod etiam in Angelis res non alia habeat ratione. Vti enim cum AVGVSTINO profiteamur *Enchirid. c. 59: " nec sciri, "*
" nec affirmari posse, quam ratione Angeli, vel ad "
" aurem forinsecus vel ad animum hominibus intus "
" loquantur; ita etiam loquelam eorum non intelli- "
" gimus. Hinc cum DVRANDO neque putamus: "
Angelos colloqui sicut & nos, & ipsi ad nos loquuntur, hoc est, efformando voces ex aere; neque cum hac sententia facimus, quam DVRANDVS aliis tribuit, & vi cuius Angeli characteres in cælo formarent. Neque opinio SCOTI arridet, Angelum unum loqui alii, putantis, si de re aliqua effective imprimat menti alterius Angeli conceptum, similem conceptui suo. LOQVELA enim ANGELO-

RVM, cum in actu eo consistat, vi cuius uni angelo innorescunt cogitationes alterius, omnino similitudinem quandam conceptuum requirit; alias dici non posset, quod alteri alterius sint communicati Angeli conceptus. Sed num illud *modis enarratis* fieri debeat, partim nulla potest stabiliri ratione; partim etiam Spiritualitati Angelorum repugnat. Si qua igitur una nobis *probabilior sit sententia*, certe THOMAE, hominis quidem Scholastici, attamen sapius accuratissimi, apprehendimus, *Part. I. Art. I. quest. 107.* dicentis: “ *Ex*
 „ *hoc quod conceptus mentis Angelicæ ordinantur*
 „ *ad manifestandum alteri, per voluntatem*
 „ *ipsius Angeli, conceptus mentis unius Angeli in-*
 „ *notescit alteri. Et sic loquitur unus Angelus al-*
 „ *teri. Nihil est enim aliud loqui ad alterum,*
 „ *quam conceptum mentis alteri manifestare.* Sed cum *apodictica certitudine* hac de re differere non licet. Et quamvis Scriptura Angelis *loquelam* passim tribuat, 1. Cor. XIII. Zach. I. tamen *modum loquendi* revelavit nullibi Deus in ea.

§. XXXI.

De Apparitionibus Angelorum.

Neque etiam ipsæ *Apparitiones* Angelorum Spiritualitati eorum contradicunt: neque perpetuum & naturale corpus deposcunt. Apparitiones istæ Angelorum, quibus sub visibili specie se hominibus ad sensus manifestant, negari non possunt, cum Sacra Scriptura eas evidentissime adstruat. Si autem ex his corporalibus Angelorum apparitionibus, pro eorum naturalibus corporibus militare velis,

velis, eodem modo Deo perpetuum & naturale corpus adscribere cogaris; id quod sine mentis infania fieri non potest. Nam si ex potione apparitionis ad actuale corpus & naturale perpetuum concludere velis; sine negotio patet, circa utrumque, Deum & Angelum, tibi parem esse argumentandi rationem. Itaque aut hoc poni aut illud removeri debet. Utraque autem ratione patet in se corruens adversaria argumentatio.

§. XXXII.

Angeli cum nulla habent corpora (§. 29.) sed sint puri spiritus (§. 19.) interim corporibus visibilibus interdum adparuerint (§. 31.) merito quaestio Theologis exorta est, an Angelis, cum meri sint Spiritus, etiam *locus adscribi*; & denuo ratione apparitionum factarum dici possit, eos actu *ex loco in locum se movisse*; vel multo magis id posterius ex quadam in eis concipienda, factum sit *ubiquitate*. Quas binas quaestiones brevibus tantum enarrare, operæ pretium erit.

Fundamentum duarum quaestionum.

§. XXXIII.

Angelos *esse in loco*, vel adfirmari vel negari potest, pro diverso conceptu, qui loco tribuitur. Quod nos hodie *Spatium* vocamus, id Veteres nominabant *Locum*; & quod nos *Locum* nominamus, id Veteribus *πρὸς ubi vel Alicubi* audiebat. Hinc negabant Angelos esse in loco; sed eos esse *Alicubi* adfirmabant. Hinc si *loco* idem conceptus,

Angeli sunt in ubi definito.

tribuatur, quem Veteres ipsi *Alicubi* adscribebant, sine periculo, eos esse in loco adfirmari poterit, id quod etiam locutionibus recentiorum Theologorum conveniens est, & quod Veteres etiam *per inexistenciam Angeli in spatio indivisibili* enunciabant, quo suum haberent *Ubi definitum*, quod etiam Sacra Scriptura confirmat, quando Matth. IV, 11. *Angeli ad Christum venisse & recessisse* dicuntur Conf. Luc. 1, 28. Matth. XVI, 5. quod fieri non potuisset, nisi in quodam *Ubi definito*, seu loco essent Angeli; qua ex ratione etiam tam bonis quam malis angelis, secundum speciem suam *certus & determinatus adsignatur locus*. Mat. XXV. Luc. VIII. Hoc ipsum etiam *Angelorum finitudo*, quam in antecedentibus evicimus, requirit. Et enim cum finiti sunt, præterea simplices; non in multis simul punctis esse possunt, & eo ipso in certo & determinato loco quo simul Ubiquitas, quam DVRANDVS, HERVÆVS & WEIGELIVS eis attribuerunt, collatis simul Scripturæ locis, quæ citavimus, refutatur & simul controversia MELCHIORIS LEIDEKKERI & PETRI ALLINGÆ facile componitur.

§. XXXIV.

*An Angeli
movean-
tur.*

Nec autem aliquid est dubii, quin Angeli *facultate ex locis suis se movendi*, sint præditi. Nam cum Philosophi demonstrent, quod locus entis determinatus non sit necessarius, sed omne ens locum suum mutare, ex eo exire, & alium occupare possit, etiam Angelus non necessario huic vel ille

illi loco inexistit; sed eum iterum iterumque mutare potest, quod *nunquam fiet sine motu*. Neque cum Angeli non sint ubivis (§. 33.) etiam concipi potest, quomodo essent capaces ad subeundum ministerium in Salutem fidelium Hebr. I, nisi etiam facultate loco motiva præditi essent. Loca §. præcitata id ipsum quoque evidenter probant. Motum etiam in Spiritu esse possibilem, nulla est contradictio; cum actu eum in anima nostra quæ æque est spiritus ac Angelus deprehendamus; alias etiam Apoc. XII, 6. dici non posset, *Diabolum cum angelis sus e caelo projectum esse in terram*.

Quomodo fiat hic motus angelicus definire nec volumus nec possumus. Sufficit, omnem motum requirere terminum *a quo* & terminum *ad quem*, & consequenter angelum omnia transire *loca intermedia*, & cum DAMASCENO dicimus; οτι γαρ εισιν εν ουρανω, ουκ εισιν εν τη γη και εις την γην υπο του Θεου αποστελλομενοι, ουκ εναπομενουσιν εν τω θρανω. *Quum enim sunt in caelo, non sunt in terra, & quando a Deo mittuntur in terram, non manent in caelo*. Lib: II. de orth. Fid. cap. 3.

§. XXXV.

Sed ut colophonem coeptis nostris imponamus, ultimam adhuc adfectionem quam (§. 9.) Angelis adscripsimus, *potentiam* nimirum eorum adstruere lubet. Angeli enim cum habent intellectum & voluntatem (§. 20.) vel ea exequi possunt, quæ voluntate sua decreverunt, vel non.

*In angelis
est magna
potentia.*

Fa-


Facultas voluntatem Angelis a Deo, quatenus in specie objecta voluntatis considerantur, permissam exequendi, dicitur POTENTIA ANGELORVM. Hanc quamvis *finitam* & non ad omnia quæ volunt, extensam, attamen permagnam Angelis competere, firmissimis adstrui potest argumentis. Sunt Spiritus puri, ex quorum substantialitate, quæ vi semper est prædita, potentiam haud levem conicere licet. Hinc etiam in Scriptura vocantur *valentes robore* Ps. CIII, 20. Nec non 2. Pet. II, 11. Angeli vocantur *ισχυρι και δυναμει μετ' αυτες*. *Diabolus* vocatur *robustus* Matth. XII, 29. *Princeps, cui est potestas aeris* Ephes. II, 2. & qui hanc ob potentiam *Leo*, 1. Pet. V, 8. & *Draco* Apoc. XII, 7. vocatur. Sic etiam Angelus *repressit ignem tres Danielis Socios circumdantem* Dan. III, 24. seqq., quæ omnia & cetera, quæ adduci possent, potentiam Angelorum magnam, imo respectu hominum valde maximam, satis demonstrant.

§. XXXVI.

Epilogus.

Angeli sunt a Deo creati (§.22.) Itaque in Sanctitate ipsis a Deo increata vel perstiterunt, vel non. Hinc oriuntur diversæ Angelorum species. Sed expositis Angelorum adfectionibus *generalioribus*, *speciales* in aliud tempus transmittimus.

F I N I S.




56 DISSER
 Facultas
 specie ob
 fam ex
 LORVM
 quæ vol
 gelis con
 mentis.
 tialitate,
 haud lev
 ptura vo
 non 2. P
vapet me
 XII, 29.
 2. & qui
Draco A
repressit
 Dan. III,
 duci poss
 respectu
 strant.

Epilogus.

An
 Sanctitat
 non. H
 Sed expo
 bus, spec

ANGELIS.
 atenus in
 permif-
 ANGE-
 ad omnia
 nam An-
 est argu-
 substant
 potentiam
 in Scri-
 to. Nec
ut kai du
 is Matth.
 Ephes. II,
 V, 8. &
 Angelus
indantem
 , quæ ad-
 nam, imo
 s demon-

Itaque in
 runt, vel
 species.
neraliori-
 us.



Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
 © The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black